

XXXVIII. FICVLEA (*la Cesarina; accedit Olevano*).

Ficuleam — Ficeliae pluraliter dicuntur soli Martiali 6, 27, 2; ethnicum *Ficulensis* est in inscriptione n. 4012 et apud Ciceronem ad Att. 12, 34, *Ficolensis* in inscriptione n. 4003 et apud Plinium, item Livium (locis infra citandis), *Ficiliensis* in libro coloniarum, *Ficuleas* apud Varromem — fuisse in via, quae Roma ducebat Nomentum, inter ipsum Nomentum et Romanam, colligi potest inde quod teste Livio 3, 52, 3 viae Nomentanae aliquando nomen fuerat *Ficolensis* (similiter via Praenestina antiquioribus temporibus ab oppido sito inter Romanam et Praeneste appellabatur Gabina, cf. supra p. 279); quocum optime convenit quod ex praedio *la Cesarina*, quod extenditur ad sinistram viae Nomentanae a quarto fere millario usque ad sextum, prolatus est anno 1824 titulus n. 4012 quo Consius Cerinus praedicat redigisse se in planitiem clivum aliquem situm *regione Ficulensi* (alter titulus cum mentione *Ficolensium* n. 4003 plane incertae originis est). Quamquam digito monstrare locum quo olim *Ficuleae* moenia steterunt, nondum nobis datum est, primum quoniam Consius Cerinus titulum n. 4012 etiam extra moenia *Ficuleae* statuere potuit; deinde quod minime certum est titulum illum antiquitus re vera ibi stetisse ubi hoc saeculo e terra prodiit; nam in opere videtur positus fuisse, cum repertus est, et aliorum titulorum ab eodem Consio Cerintho publice statutorum fragmenta prodierunt ex aliis fundis eiusdem regionis, complura ex fundo *del Coazzo*, cum effoderetur anno 1855 basilica S. Alexandri ubi et ipsa adhibita erant in opere, unum (n. 4014b) ex fundo *Capobianco*. Ceterum *Ficuleam* vicinam fuisse Nomento appetit etiam ex eis quae traduntur de praediis Attici et Martialis (cf. infra), fuisse in eadem regione cum Fidenis verisimile fit ex ratione qua Varro de l. L. 6, 18 (cf. infra) Fidenates et *Ficuleates* coniungit. Apud rerum scriptores pertenuem memoriam *Ficulea* reliquit. Memoratur a Dionysio 1, 16 inter oppida ab Aboriginis in Latio condita, a Livio 1, 38, 4, cui dicitur *Ficulea vetus*, inter oppida a Tarquinio Prisco Romanorum rege de Priscis Latinis bello capta; denique Varro de l. L. 6, 18 narravit post decessum ex urbe Gallorum et alios finitimos populos et *Ficuleates* et Fidenates contra Romanos coniurasse<sup>1)</sup>. Praedium in agro *Ficuleam*

1) Pluribus de eadem re egerat Varro in antiquitatum libris, ad quos diserte legentes relegat; ex his libris sine dubio fluxerunt quae de eadem Latinorum coniuratione proferunt Plutarchus Romul. c. 29 et Macrobius sat. 1, 11, 37 seq., qui tamen *Ficuleates* non nominant, nominant ducem Latinorum; fuit is autem Postumius sive potius Postumus Livius, idemque dictator Fidenatum, teste Macrobius, de qua re cf. p. 453.

2) Certe cum Cicero in epistula illa scripta Asturae significet Attico, se suauis ipsius Attici venturum propediem in *Ficulense*, domino huius praedii non

lensi videtur habuisse Atticus (Cic. ad Att. 12, 34)<sup>2)</sup>, vix diversum ab eo quod Nomentanum dicitur a biographo Attici Cornelio Nepote c. 14 (praesertim cum duo tantum praedia Italica Attico fuisse Nepos adfirmet, Arretinum et Nomentanum), situm fortasse, ut supra p. 444 coniecum, in confinio agrorum *Ficulensis* et Nomentani; atque etiam Martialis poetae praedium Nomentanum videtur contiguum fuisse agro *Ficulensi*, si quidem is (6, 27) amicum Nepotem appellavit *bis vicinum*, propterea quod et Romae prope se habitaret et extra Romanum incoleret *veteres Ficelias*. A Plinio in descriptione Italiae *Ficulenses* bis enumerantur, et in regione prima (Plin. h. n. 3, 64) et in regione quarta inter Samnites (Plin. 3, 107), similiter ut bis apud eundem enumerantur Nomentani (cf. supra p. 440) et Fidenates (cf. p. 453); re vera quartae regionis fuisse *Ficulenses* testatur liber coloniarum, ubi in recensione civitatum Piceni legitur (p. 256 L.): *Ficiliensis ager ea lege servatur qua et ager Curium Sabinorum*. Ex inscriptionibus infra editis discimus *Ficuleae* etiam aetate imperatorum fuisse umbram rei publicae, fuisse ibi aedes et praeterea magistratum aliquem dictum *praefectum iur(e) dic(undo) et sacris faciundis* (n. 4002), fuisse ibi decuriones et seviro Augustales (n. 4014).

Coniunxi hoc capite inscriptiones repertas in fundis de quibus supra dixi *la Cesarina, del Coazzo, Capobianco*, ex quibus Consii Cerinthi titulorum fragmenta prodierunt; adiunxi inscriptiones repertas in fundo adiuguo *Olevano* (cf. ad n. 4001). Ceterum si exceperis n. 4002. 4003. 4012—4014, reliquias inscriptiones hoc capite editas ad municipes *Ficulenses* spectare minime certum est; sunt enim vulgares omnes (praeter complures militares) potueruntque eae pari iure vel adeo maiore sepulcralibus urbis Romae inseri. Praeterea ne id quidem constat num omnes inscriptiones, quae traduntur repertae esse in fundis illis, re vera antiquitus in ea regione steterint; nam inter inscriptiones teste Marini repertas in fundo Capobianco una certe est urbana (cf. ad n. 4015. 4027), item inter inscriptiones ab Amatio relatas ut *Ficulenses* — Amatio autem paene soli debemus inscriptiones per annos huius saeculi a vicesimo quarto usque ad tricesimum tertium circiter in illa regione effossas et mox dispersas — videntur immiscuisse se alienae; videtur enim Amatius partem tantum *Ficulensem* suarum vidisse intra praedia illa, ut n. 4012 et 4017, alias et fortasse plures Romae apud negotiantes rerum antiquarum, Vescovalium et Castellanium; certe aliena sunt a *Ficulea* fragmenta ab Amatio inter inscriptiones *Ficulenses* relatae quae nos supra n. 2620 certis argumentis Tusculo vindicavimus.

nominato, ipsi Cicero autem nullum praedium fuerit in hac regione, probable est *Ficulense* illud praedium fuisse Attici.

**4001** *Borghesiane, Ficuleesi, Aprile 1826* praescripsit AMATI huic et eis quae hanc sequuntur n. 4009. 4018. 4036. 4037. 4048. 4051. 4052.

Harum duae, n. 4036. 4037, extant Romae in villa *Borghesiorum*; reliquae latent. — Ex eis quae Nibby anal. 2 p. 424 et ipse Amatius in actis Arcadum ad n. 4051 narraverunt, appetit has inscriptiones omnes non prodiisse ex fundo *Cesarina*, ex quo prodiit vere *Ficulensis* n. 4012, sed ex fundo adiuguo *Olevano*.

M · MARCIVS . . . . .  
ET · MARCIA · PRI . . . .  
ET · MARCIA · NOMAS · LIB  
EORVM  
5 FANVM · BONAE dEAE  
VETVSTATE · Dlru t VM  
A SOLO · RESTITuerunt

Amati ms. Vat. 9753 f. 17. Memorat (v. 5) Nibby anal. 2 p. 424.

**4002** una cum n. 4012 exhibit qui solus servavit AMAT. — Nomento non recte attribuit HENZEN (ann.).

P · PACILius . . . f. ZENON · LAETVS · P · P · BIS  
AEDIL PRAEF · IVR · DIC · ET · SACRIS · FACIVNDIS  
AEDEM FORTVNAE · ET VICTORIAE · SVA · PEC · REF · COMMVNIVIT

Amati ms. Vat. 9750 f. 2', qui memorat *giorn. arcad.* 32 (1826) p. 102. Ab hoc acceptam Borghésius communicavit cum Henzeno qui edidit ann. inst. arch. 1846 p. 265, syll. n. 7032.

1) *P·PACII* traditur; inter *PACILIVS* et *ZENON* praeter nomen patris et fortasse tribum quidquam periisse non credo; videtur hic versus exaratus fuisse litteris maioribus. — 1 fin. dimidiatae ut puto ultimae litterae Amatius haesitavit utrum *P·F·DIC* an *P·P·BIS* legendae essent, postremum hoc praetulit; ceterum hoc etiam per se magis commendatur (*p·rimus*) *p·ilus* *bis*) quam illud. — 3 fin. post. *COMMVNIVIT* Amatius exhibit o; quod magis crediderim fuisse interpunctionis loco quam ex littera *Q* superfuisse.